UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

De Ivstitia Et Ivre, Continens Tractatvs De Prvdentia, Fortitvdine, & temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia commutatiua, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione, & Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de Emptione, & ...

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

3. An census necessario super bona propria, & libera constituendus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76677

Visual Library

penſionem. Quod ius indeterminatum eſſet, ſi nulli fructus, ex quibus hæc penſio ſoluatur determinentur.

3 Cæterùm verius cenſeo ſuper perſona cenſuarij cum hypotheca generali bonorum cenſum creari poſſe. Quæ fuit ſententia plurium, grauiſſimorúmque Doctorum, quos refert, & ſequitur Felician. *de cenſib. lib. 1. cap. 8. num. 4.* & *2. p. lib. 1. cap. 4. numero 1. & ſeq.* Valen. *2. 2. diſp. 5. quæſt. 22. pun. 2.* Salon. *ar. 3. de cenſib. controuerſ. 5. concluſ. 3.* Bañes, *tract. de cenſib. dub. 1. poſt 2. concluſ.* Anglis *de cenſib. artic. 6.* Tolet. *lib. 5. ſum. cap. 45. num. 3.* & *capite 47. num. 4.* Salas, *tract. de cenſib. dub. 7. num. 12.* Gaſpar Roderic. *lib. 1. quæſt. 4. num. 33.* & *lib. 2. de redditib. q. 7. n. 13.* Franciſc. Milanen. *deciſ. 1. Siciliæ n. 91. in 2. par.* & aliorum apud ipſos. Et colligitur ex *extrauag. 1. & 2. de empt. & vendit.* vbi Martin. V. & Calixtus III. ſupponunt cenſum creari poſſe ſuper bonis ſuis, dominiis, oppidis, & terris, neque vllam rem ſpecialiter deſignant. Item concludunt peremptis rebus in quibus cenſus ſit conſtitutus, non poſſe cenſuarium cogi ad ſolutionem ſortis, neque ad cenſum redimendum, ſupponunt ergo cenſum non extingui, aliàs inutilis eſſet hæc declaratio, ſi cenſus extingueretur. Fundamentum eſt, quia ex eo quod cenſuarius ob pecuniam acceptam obligetur annuam penſionem ſoluere ex ſuis bonis præſentibus, & futuris cenſus conſtituitur. At hæc obligatio aduerſa non eſt iuri naturali, ſi ſiquidem inter obligationem, & pretium acceptum æqualitas cernitur. Et licet bona ex quibus illa obligatio exequenda eſt indeterminata ſint, obligatio exequenda eſt indeterminata ſint, obligatio tamen indiuidua, & determinata eſt, ac proinde apta emptioni. Ex alia parte iuri poſitiuo communi conformis eſt, vt *ex dictis extrauag.* conſtat. Ergo nihil impedit hanc cenſus conſtitutionem.

4 Sed an cenſus ſic conſtitutus nuncupandus ſit realis, vel perſonalis? Placet perſonalem reputandum eſſe, quia in eo perſona principaliter obligatur, & bona acceſſoriè. Sicuti obligaris ad mutuum ſoluendum tuis bonis generaliter hypothecatis. Sic Nauarr. *comment. de vſur. num. 75.* Gregor. Lopez, *leg. 8. tit. 8. par. 5.* Molin. *diſp. 389.* Leſſius, *d. cap. 22. dub. 12.* Cui deciſioni non leuiter fauet vſus in Hiſpania receptus cenſuarium pro ſolutione cenſus capiendi, & incarcerandi, qui vſus ſuſtinendus non eſſet, ſi cenſuarius non eſſet perſonaliter obligatus.

§. III.

An cenſus neceſſariò ſuper bona propria, & libera conſtituendus ſit?

1 *Cum conſtituitur ſuper re aliena exigi poteſt penſio.*
2 *Si res ſit alteri cenſui hypothecata reſoluitur quæſtio ſub diſtinctione.*
3 *Quid ſi vendas rem cenſui ſuppoſitam.*
4 *Quid de valore venditionis.*

1 QVæſtio procedit de cenſu reali, cuius ſolutioni res aliqua determinata ſupponitur. Hæc ſi aliena ſit cenſus creatio non ſubſiſtit, cum non ſubſiſtat hypotheca, & ſubjectio quæ ex re aliena facta eſt. Vt habetur *leg. 2. & ſeq. ff. ſi res aliena pignori data ſit,* & tradit Gloſſ. *in leg. aliena res ff. de pignoratit. act.* & *leg. rem alienam. ff. de contrahend. empt.* Neque venditor communicare emptori poteſt ius exigendi penſionem ex illa, cum aliena ſit, & ſuæ poteſtati non ſubiecta, ideoque notanter Martinus V. & Calixt. III. dixerunt *ſuper bonis ſuis* &c. ſuper eorum bonis cenſum conſtituendum. Neque inde fit obligatum eſſe emptorem ignatum illius vitij tempore contractus abſtinere à penſione exigenda, quia eſto illam exigere non poſſit virtute cenſus conſtituti; valet tamen illam exigere ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis ex ea deceptione ſibi prouenientis. Vt aduertit Sarmiento *lib. 7. ſelect. cap. 1. numero 30.* Auendano, *de cenſib. Hiſpanor. cap. 61. num. 4.* Mol. *diſp. 391. dub. 4.* Salas, *tract. de cenſib. dub. 17. num. 1.* & colligitur ex *leg. venditor hominis ff. de euictionis.* Quod ſecus eſſet, ſi ipſe conſcius eſſet rem ſibi ſuppoſitam omnino alienam eſſe, & incapacem cenſus. Nam eo caſu non poſſet penſiones exigere vi cenſualis contractus, cum nullus ſit. Neque item ex lucro ceſſante, aut damno emergente ex ea deceptione, cum non fuerit deceptus. Conuincitur ergo ex ſolo mutuo eam penſionem recipere, ac perinde vſurariè. Vt colligunt ex *leg. ſi fundum. Cod. de euictionib.* Nauarr. *comment. de vſur. num. 119.* Mol. *diſp. 394. dub. 4.* Leſſius, *lib. 2. c. 22. dub. 12.* Salas, *dub. 17. num. 2.*

2 Quod ſi res aliena non ſit, eſt tamen alteri cenſui ſpecialiter obligata, diſtinguit Auendaño *tract. de cenſib. Hiſpaniæ. cap. 61. num. 7.* aut res illa vtrique cenſui hypothecata ſufficiens eſt parere fructus, ex quibus vtrique cenſui fiat ſatisfactio, vel non, ſi ſufficit venditio, emptioque ſubſiſtit, cum nullum præiudicium ſecundo cenſus emptori ex priori obligatione accedat. Neque obſtat *lex regia 2. tit. 15. lib. 5. nouæ collect.* decernens obligatum eſſe venditorem noui cenſus monere emptores de prioribus hypothecis, & cenſibus, quibus ſubiacent bona denuo hypothecata, alioquin obligatur ſortem reddere cum pœna duplici.

Non inquam obſtat, quia ea lex intelligi debet, cum prior hypotheca, & obligatio poſteriori præiudicat. Vt latè probat ipſe Auendano *c. 53. num. 7.* Sed certè raro vel nunquam hoc præiudicium ceſſabit. Nam eſto illius rei fructus ſufficientes ſint vtrique cenſui, attamen decurſu temporis inſufficientes reddentur, quod tamen non contingeret, ſi res illa ſecundo tantum cenſui obligata eſſet. Deinde ob priorem illam hypothecam datur creditorum concurſus, qui regulariter in præiudicium cuiuſque cedit, ob quas rationes reſolutio Auendano dubia redditur.

Si autem fructus rei hypothecatæ inſufficienres ſint vtrique cenſui ſoluendo, ſi prior cenſus perpetuus, & irredimibilis ſit, cenſet Auendaño ſecundum cenſum non ſubſiſtere, ſed obligatum eſſe venditorem ſortem ſimul cum penſionibus reſtituere emptori ignaro, quia nulla alia via ſupereſt ſatisfaciendi emptori decepto niſi reſtituta ſorte, & penſione, cum in vtroque deceptus fuerit, & hic eſt proprius ſenſus legis regiæ *2. tit. 15. lib. 5. collect.* Verum ſi prior cenſus redimibilis ſit, & fructus hypothecæ inſufficientes ſint vtriuſque cenſus ſolutioni, venditor tenetur vel cenſum priorem redimere, vel nouam hypothecam, & fideiuſſorem præſtare emptore conſentiente, vel ſortem cum penſionibus decurſis reſtituere, alioquin non ſatisfaciet emptori.

Hinc reſoluitur quæſtio, An ſi vendas rem cenſui ſuppoſitam, venditio ſubſiſtat, & pœnam *d. leg. 2. titul. 15. lib. 5. collect.* incurrat? Breuiter reſpondeo te in eam pœnam non incurrere, quia ea pœna reſtitutionis duplicis ſtatuta eſt venditori cenſus ſuper re grauata alio cenſu, aut tributo grauamine non detecto. At pœnæ extendendæ non ſunt extra caſum expreſſum, quamuis ſit vrgentior ratio. Vt latè diximus *tract. de legib. vbi de lege pœnali.* Ergo venditio ſimplex rei cenſualis non ſubiicitur prædictæ pœnali conſtitutioni. Sic Gutierr. *2. pract. quæſt. 169. per totam.* Mol. *diſp. 394. dub. 4. in fine.* Salas *tractat. de cenſib. dub. 18.* Felician. *2. p. de cenſib. in præfat. numero 5.* 3

Quoad valorem autem venditionis diſtinguendum eſt. 4
Si res vendita ſubiecta ſit cenſui, aut tributo perpetuo à venditore irredimibile, venditio nulla eſſe videtur, quia eſt rei vitioſæ, à quo vitio venditor rem venditam purgare nequit, eaque de cauſa emptori competit actio reſciſſionis contractus, aut quanto minoris, vt colligitur ex Doctoribus *ſupra* relatis. Attamen ſi cenſus redimibilis ſit, venditio ſubſiſtit, quia etſi ſit rei vitio affectæ remouere venditor vitium illud poteſt. Quapropter compelli poteſt venditor, vt vitium illud remoueat cenſum redimendo. Sicuti notant Gloſſ. Bart. & alij *in leg. ex prædiis Cod. de euictionib.* Gutierr. Salas Mol. & Felician. *ſuprà.*

§. IV.

De cenſu reali conſtituto in bonis feudalibus, ſeu emphyteuſi ſubiectis.

1 *Negant aliqui poſſe feudatarium, & emphyteutam cenſum conſtituere.*
2 *Contrarium eſt verum.*
3 *Nunquam poſſunt rem feudalem in cenſum reſeruatiuum concedere.*
4 *Dominus feudi nequit cenſum reſeruatiuum concedere, bene conſignatiuum ſuper proprietate.*

FEudatarium, & emphyteutam non poſſe cenſum conſtituere ſuper re in feudum, & emphyteuſim data docuit 1
Aurelius Corbulus, *tr. de cauſis ex quibus emphyteuta iure ſuo priuetur. t. de cauſa priuat. ob alienat. ampl. 49.* cuius fundamentum præcipuum eſt, quia emphyteutæ & feudatario prohibita eſt rei emphyteuticæ, & feudalis alienatio irrequiſito domino, *leg. 2. & vlt. Cod. de iure emphyteutico.* At conſignato cenſu in re emphyteutica ſubiicitur alienationi vt cenſus ſoluatur. Item in re emphyteutica, & feudali nequit ſeruitus conſtitui. Vt pluribus comprobant Iulius Clarus, *lib. 4. ſentent. §. feudum. quæſt. 37. ad finem.* Mol. *lib. 1. de Hiſpanor. primogen. cap. 20. num. 7.* Sed cenſus eſt quædam ſeruitus. Ergo nequit illis in rebus conſtitui.

Nihilominus communis, veraque ſententia eſt emphyteu- 2
tam, & feudatarium irrequiſito domino poſſe cenſum pro tempore feudi, & emphyteuſis duraturum conſtituere in re feudali, & emphyteutica. Sicuti tradunt pluribus relatis Felician. *de cenſib. lib. 2. cap. 5. num. 15.* & *2. p. lib. 2. c. 4. numero 2.* Ludouic. Velazq. de Auendaño, *tractat. de cenſib. Hiſpania, cap. 66. & 67. per totum.* Cuius ea eſt ratio, quia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN